

8.

X 187 6270

Q. D. B. V.

Π i
2709

Q. N.
415,
12.

Ritum VIGILIARUM

Sacrum & Profanum,

disputabunt

FRATRES GERMANI

PRÆSES

M. Gertraud Gott Klepperbein /

&

RESPONDENS

JOACHIMUS Klepperbein /

Glogov. Silesii,

D. XXVI. Sept. Anno M DC LXXXV.

In Auditorio Veteri.



WITTENBERGÆ,

Imprimebat CHRISTIANUS SCHRÖDTERUS, Acad. Typs.



VIGILARIUM

Societas & Probandi

dispositum

FRATRES GERMANI

P R A E S

Magister Johannes

RESPONDENS

JOHANNES

Glossa

D. LXXIIII

in

...

...



...



L. N. D.

Vispicienti mihi ritus veterum, tam multi tamq̄ va-
 rii occurrunt, ut facile intelligam, pro varietate re-
 rum tam sacrarum, quam profanarum fuisse admo-
 dum diversos. Sive enim cultum divinum Con-
 templor, sive vitam humanam Hominumq̄ actiones
 considero, ritus sanè circumspicio multiplices, mo-
 dosq̄ varios, quibus prisca mortales res suas exornare voluerunt,
 Quorum nonnulli originem suam Deo acceptam referunt, Hominum
 consiliis alii, ut majorem venerationem excitent, & attentionem a-
 cudiant, animosq̄ Auditorum pariter & Spectatorum alliciant, trahant
 ac moveant, quò vel sic omnia justo decentiq̄ ordine peragantur. In
 tanto autem Rituum numero arrisit mihi quàm maximè per vetustus
 Vigiliarum Ritus cum sacer, tum profanus, quem si quodammodo evol-
 vere queam, operæ pretium me facturum esse confido.

SECTIO I.

Ritus Vigiliarum Sacer.

Vigiliae sacrae sunt ritus certi, cum fideles vigilarent in Tem-
 plis, aut locis aliis pietatis causa delectis conjuncti in orati-
 onibus, hymnis, lectione religiosa & aliis piis officiis, ab
 Ecclesia veteri, instituti, & deinde aucti ad sacra Dei mu-
 nia rectius diligentiusq̄ obeunda. Alii breviter, strictimq̄ de-
 scribunt, appellantes Officia vespertina, seu conventus fidelium
 vespertinos ad Sacra peragenda introductos. *Vid. Johannes Ba-
 ptista Casalius, de Profanis Aegyptiorum, Romanorum, & Sacris
 Christianorum ritibus lib. III.*

S. II. Vigiliae à Vigilando dictae sunt, propterea quod no-
 cturmo tempore institui & peragi solebant. Quia autem Roma-
 ni nec diem nec noctem per Horarum intervalla distinguere & di-
 metiri consueverunt, contenti Diem in Tempus antemeridia-
 num, meridianum, & Pomeridianum distribuere; Factum est his
 rebus, ut noctem non in Horas dividerent, sed in quatuor Vigiliis
 partirentur. Ebraei verò diem numerabant certis precationum
 temporibus, & per harum precationum tempora, horas quasque di-
 stinguebant, noctem autem dispartiebant in quatuor Vigiliis seu Ex-
 cubias,



Excubias, seu Custodias, Φυλακὰς Græcè appellatas. Quorsum spectat *Matth. XIV. 25. Matth. XXIV. 43.* Ebræis תִּירוּשָׁוּד nominantur, in quam sententiam *Conf. Magnif. D. Aug. Pfeifferus in Antiq. Ebr. Cap. VIII. p. 61.* Ad variam noctis divisionem jungatur *Lightfootus Hor. Ebr. Polyd. Vergilius de Rerum Inu. lib. II. c. VI. Dionysius Gothofredi in Isidori Hispal. Episcopi Orig. s. Etymol. lib. V. c. XXXI. Apparatus Eruditionis Michaelis Pexenfelders C. III. p. 7.*

§. III. In antiquo foedere Vigiliæ erant matutinæ, quæ passim celebrantur *Exod. XIV. 24. Confer. Cap. XII. 6.* Ad hæc loca *Vid. Commentar. Junii & Tremellii,* in quo Diem noctemque divisam invenies. Vigiliam mediam habemus. *Jud. VII. 19.* per quam intelligunt mediam noctem, qua custodes & Vigiles mutari solent utilitatis vel necessitatis causa pro castrensi instituto. De nocte in Vigiliis distributa, & Horis Diei Hebræorum, præter alios, legatur etiam *Henricus Mullerus Theol. Rostochiensis in Jesu Patiente Cap. L. p. CXLI. sub Hora Crucifixionis.* Ebræi quidem aliquando Trium modò Vigiliarum faciunt mentionem, quia distinguunt Vigiliam matutinam à Vigiliis profundæ noctis. Quatuor autem statæ ac ratæ fuerunt Noctis Vigiliæ, Tres vero tantum profundæ noctis. Laudem inventionis dividendi noctem diemque in certa spatia merito sibi vindicant Ebræi, non Romani, Judaica enim in Gente hæc consuetudo cœpit & viguit, priusquam Romanorum nomen, famaque & Religio innotuerunt. Testantur loca veteris instrumenti. *Exod. XIV. 24. Ps. XC. 4. Ps. CXIX. 148. &c.*

§. IV. Custodias, Excubias, Vigiliis sensu paria faciunt, & omnes vigilando peractæ sunt. Alias tamen pro subjectæ rei argumento Custodia, Vincula & Carceres notat. Excubiæ sunt diurnæ & nocturnæ. Vigiliæ tantum nocturnæ, eæque in quatuor partes divisæ: quarum singulæ horis Tribus constant, ut Vigilia I. II. III. IV. *Vid. Ausonius Popma de Different. Verb. I. 1. p. 75 & lib. II. p. 100. Dionys. Gothof. de Differ. Verb. p. 1366. & 1048.*

§. V. Gens Hebræa, stante templo, in observandis vigiliis perquam accurata fuisse legitur: inter sacerdotes enim suas quisque Vigiliarum sibi destinatas habuit Custodias, quàm vigiliari oportebat. Moses quippe dividebat Sacerdotes in Octo Custodias seu Ordines in Templo servientes, ut quatuor ad Eleasarem, quatuor ad

or ad Jthamarem pertinerent. Samuel & David dividebant Sa-
cerdotes in XXIV. Custodias, ut cuilibet Custodiæ, quarum erant
XXIV. præffet aliquis quasi moderator quarum Custodiarum ali-
qua per Hebdomadam ministrabat, & singulis Sabbathis decede-
bat, sequente Custodia surrogata. Custodiarum harum divisionem
in Inferiores secundum hebdomadas in Templo servientes. Vid.
Ampliss. Dassovii Nestri Annot. ad Levit. Sect. IV. & Petri Cunæi
lib. de Republ. Judæor. lib. II. C. VIII. p. 155.

§. VI. Excubias hæc seu Vigiliis in Templis pietas & reli-
gio magis Sacerdotum & Dei veneratio, quam peculiaris aliqua ne-
cessitas expressit. Commune hoc erat officium Levitis cum Sa-
cerdotibus, nec aliis, quàm propriis & usitatis vestibus induti appa-
rebant. Sacerdotis munus in Excubiis erat, excubare in tribus locis
interioribus, Levitæ autem in locis exterioribus viginti & uno. Ea ve-
ro in Excubiis erat Religio, ut Præfectum sibi apposuerint (Vir
montis domus vocatus) qui circumiens baculo & facibus ardenti-
bus, dormientes baculo excitaret, & vestes eorum facibus adure-
ret. Relicta etiam quies erat, nec enim omnes unà vigilabant, sed
singuli per vices una Vigilia fungebantur. Vid. plur. ap. *A. D. Pfeif-
ferum p. 65. cap. 8. Antiq. Ebr. & Dn. Dassovium in Sect. V.*

§. VII. Moris etiam erat in funeribus Judæorum Vigiliis
obire, ritumque hunc perpetuum servare. Transgebant noctem
quæ funus præcedebat Vigiliis, Psalmisq; concinendis, *Durantus lib.*
1. Rituum Eccles. c. 23. p. 193. Vigiliis autem eo magis noctem
impendebant, quoniam illi, quibus funus amicorum vulnus inflixit,
somnia excuti sibi sentiunt, & præ mœrore fastidiunt quietem, ci-
bosque averfantur. Curæ enim faucibus reddunt animos, & factura
amici dolori est, his sanè somnus ni plane eripitur, imminuitur tñ.
*Vid. Buxi. Synag. c. 25. p. 389. & B. Geierus de Ebræorum Luctu, Lu-
gentiumq; ritibus Cap. XX. p. 381.*

§. VIII. Ad Vigiliis Christianorum dum me converto, au-
spicia earum tristissima in maximis temporum calamitatibus & gra-
vissimis piorum persecutionibus quæro perinde ac si hoc mo-
do, ubi minarum crudelitas, tormentorum savitia nihil intentatum
omisit, cujus vis sese effudit in Christianos, ut Christianum no-
men excindi posset. Regiones in Carnificinam versæ ut prope
totum orbem dixisses apertum, nemo nisi tortus vel tortor esset.

Hæc temporum in auspicata facies, hæc Ecclesiæ miseranda tempe-
stas causa fuit, ut cætu piorum aut fuga periculum evitaturi, aut ad
martyrium præsentis animo subeundum pectora sua corroborantes,
noctu congregarentur, ideo quia interdum metu Tyrannorum conve-
nire non audebant; & ibi conviviola pro Pauperibus quæ *αιδαπαι*
dicebantur, instruebant. Conveniebant vero aut in Templis pietati
consecratis aut Domibus piorum Christianorum, aut ni temporis Ra-
tio ferret in speluncis etiam terræ & cavernis. Erant itaque Vigi-
liæ Veteris & N. Testam. institutæ ac receptæ necessitate Temporum,
ubi securitatem quærentes vigilabant, & precationibus, hymnis,
psalmisque, totam sæpe noctem in piis hisce latebris consumebant,
Deum laudabant pro beneficiis exhibitis, auxiliisque ecclesiæ
præstitis, eumque ad gratiam porro concedendam, & opem labo-
rantibus ferendam, invocabant. Erat etiam hoc solenne in Vigi-
liis Christianorum, ut Sacro Epulo uterentur, finitis orationibus, &
hymnis, quo haberent Viaticum qui primi sanguine suo, fidem su-
am demonstraturi essent Martyrio. *Athanasius Episp. Alex. Tom.*
I. p. 538: & p. 557. Vigiliis in persecutionibus natis elegans Atha-
nasia locus est. *T. I. p. 557.* Ipso sacro fonte abluebantur in Vi-
giliis ii, qui in fide jam instructi, fideique suæ specimina ediderant
Vid. *Baronius Tom. V. ad A. C. 404. num. 16.*

§. IX. Audiamus licet Basilium M. ritum modumque hu-
jus rei describentem: De nocte Populus consurgit, ante lucano
tempore domum precationis petit, inque labore & Tribulatione,
ac lacrymis iadesinentibus facta ad Deum confessione tandem ab
Oratione surgentes, ad Psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem
in duas partes divisi, alternis succinentes psallunt, uni ex ipsis hoc
muneris datur, ut quod canendum est prior ordiatur, reliqui succi-
nunt, atque ita Psalmodiæ varietate, precibusque subinde inter tertis
noctem superant. Illucescente die pariter omnes, velut uno ore
ac corde uno, Confessionis Psalmum Domino offerunt, ac suis quis-
que verbis resipiscentiam profitentur. Vid. *Basilii M. & Gregorii*
Eple Basilii Epla. 63. ad Clericos in Ecclesia Neo Cæsariana.

§. X. Memoratu digna est C. Plinii Cæs. Sec. Consulis tt.
in Pontum & Bithyniam, Epistola lib. X. 97. ad Trajanum Imp. scri-
pta, ex qua abunde elucet, quam simplex fuerit tum Christiana Reli-
gio, & quæ vitæ innocentia, & quam horrenda gentilium vexatio
& per-

& persecutio immanis. Affirmabant, inquit: hanc, fuisse summam vel culpæ suæ, vel Erroris, quod essent soliti statò die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere, se cum invicem, seq̃ve Sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent; quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse rursusq̃ve coeundi ad capiendum cibum promiscuum tamen & innoxium. Vid. *Accuratiss. notas Thomasi b. in l.* Ad hanc Exemplum Plinium ejusmodi à Trajano responsum tulisse Eusebius in Chronico testatur: Hoc genus quidem Hominum inquirendum non esse, oblatum vero puniri oportere. Judicium de hoc Responso Trajani Vid. Ap. *Tertullian. in Apol.* In his Ante lucanis conventibus Vigiliis latere non obscure colligamus.

§. XI. Vigiliis illas veras, & ob statum Ecclesiæ illius temporis, in Persecutionibus exortas quiescentibus illis sopitas esse rectè judicant, quotquot rem accuratè perpendunt. Romana eq̃idem Ecclesia Vigiliis studiosè servat & origine Apostolicas esse imò Propheticas & inde summe necessarias affirmant. Antiquitas earum euritur ex *Actis XVI. 25. Luc. II. 36. 37. Ps. 63. 2. 102. 8.* Necessitas itidem asseritur, de testimoniis etiam laboratur, *Matth. XXIV. 42. XXV. 13. XXVI. 41. Marc. XIV. 38. Marc. XIII. 33. Luc. XII. 37. 1. Cor. XVI. 13. 1. Petr. V. 8. Apoc. XVI. 15.* Quod perquirere alius est loci, neque ad hanc commendationem spectat. Vid. *Polyd. Vergil. lib. VI. c. IV. de Ritu Vigil.*

§. XII. Ceterum causas, cur hodiernum vigiliæ servari debeant, rationem ex Hieronymo depromunt. Quod credamus media nocte Dominum ad judicandum orbem terrarum ex improvise esse venturum, non posse non servari has vigiliis illud dixit testatusq̃ve est servator optimus dixit salvator. *Matth. XXV. 6.* Media nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, Quoniam ergò horam adventus nos nescire voluit, ap. *Marc. XIII. 35.* Vigilate dixit, hinc confici videtur, his vigiliis locum esse dandum, ex quibus singularis benedictio divina redundet in Vigilantes, qui in lege Domini meditentur die ac nocte, & nocturna meditatio efficacior, cum non eo tempore cum nox quieta à tumultibus Vulgus & strepitu Negotiantium. Hieronymus *Tom. IV. p. 161.* de observatione Vigiliarum summo studio

studio easdem commendat laudatq̄ve ut singularem Ecclesiæ thesaurum, quibus duæ noctes tantum impendantur Sabbathi & Dominicæ has duas autem Vigiliis nocturnam, Purificationem esse Reliquarum dierum quinque vel noctium.

§. XIII. Sicut autem Ecclesia Romana Antiquitatem & Necessitatem Vigiliarum evincere in animo habet, ita quoque assignat imponitq̄ meritum, ut simul compendii & utilitatis ratio habeatur, ut Autores & Auditores usuras faciant. Varias autem Variis festis adjudicarunt Vigiliis. Vigiliæ sunt. I. Trium Noctium quæ in Hebdomade majore, quæ est quadragesimæ postrema, Hebdomas Passionis Dominicæ, in usitato ordine & in Tenebris finiuntur, peraguntur, decantantur & nocturno tempore atq̄ in tenebris absolvuntur, denotantq̄ illæ Exsequias Triduanæ mortis Dominicæ, candelæ extinguuntur, quoniam mortuo Domino tenebræ factæ sunt super Universam terram, & Bap̄tismum celebrant. Casalius de Ritu Observatæ quadragesimæ p. 316. Cap. LXII. II. Cujusvis Sabbathi. Ambros. in Ps. 109. commendans exactam Vigiliarum observantiam dicit: Jejunavimus Sabbatho, Vigiliis celebravimus, orationibus pernoctantes institimus. III. Vigiliæ in Paschali solennitate, quas solas retinendas in Ecclesia suavit & instituit Vigilantius, osor & rofor alias Vigiliarum. IV. Vigiliæ anniversariæ de quibus consul: Baronius ad A. C. 44. n. 88. V. Vigiliæ nocte Nativitatis Domini. Vid. Baron. ad A. C. 58. n. 89. quibus Vigiliis oblata esse sacrificia adstruit. Hæc Vigilia sola remansit. Teste Tertulliano lib. II. ad Uxorem p. 429. VI. Vigiliæ in profestis martyrum. VII. Vigiliæ in Festo Pentecostes. VIII. Vigiliæ præcedente Nocte Dominicam Resurrectionem seu Sabbathi magni, in qua nocte usque ad ejus dimidium perseverantes erant in eorum Vigiliis fideles, meditantés Christi mortem & Resurrectionem. Hisce in Vigiliis habebantur Sacri Sermones, & Conciones in memoriam martyrum, aut Sanctorum Cælituum uti supersunt Bernhaldi Sermones, & aliorum Patrum Homiliæ. De quibus conf. Casalius.

§. XIV. Vigiliis in Cæmeteriis Sanctorum ad Sepulchra martyrum fieri moris erat. Ubi enim Martyrum Reliquiæ hantæ erant, cætus seu conventus Ecclesiasticos instituebant, præcipue die passionis ipsorum quem eleganter appellant Natalitium. Eucharistia & Orationes ad Sepulchra Martyrum sacra officia erant, dum
Vigi-

Vigiliae peragebantur, afferebant etiam cibos sanctificandos. Haec vero nocturnae Vigiliae ad Sepulchra Martyrum à Bonifacio I Papa sublatae: Jejunium vero retentum. Genebrardus in Bonif. 1. de Vigiliar. Ecclesiast. Antiquitate. Bellarmin. l. III. de Sanctis c. XVII. & lib. de Jejunio C. 22. Baron. ad A. C. 51. B. Martinus Chemnitius in Exam. Concil. Trid. de Reliquiis Sanctorum p. 970.

§. XV. Amplius memorantur Vigiliae à S. Perpetuo, Turonensi Populae praescriptae, ac sub necessitate traditae ad observandum. Baronius ad A. C. 482. n. 52. Anthimus verò primum eas instituit, ut est ap. Theodorum Lectorem in Collectan. Hist. Eccl. p. 718. & ut in Templis solum haberentur lege sanxit. Non enim in Templis solum sed etiam in diversorio celebratas esse testatur Baron. Tom. V. ad A. C. 404. n. 16. ubi Episcop. XL. Johannis Chrysostomi fautores inter sua diversoria habuerunt, & Johannis Presbyteri in publico Baptisterio quod Constantinianum appellatur.

§. XVI. Jus Canonicum exigit severè Vigiliis, ex formula oraculi Prophetici media nocte surgebam. *Decret. Greg. Lib III. Tit. XLI. de Celebr. missar. Cap. IX.* praecipit ut Praelati & Clerici in virtute obedientiae nocturnum officium, & studiosè celebrent, & devotè. Vigiliis se subtrahentes Clerici excommunicandi *Decret. Part. 1. & Distinct. 91.* conceditur Clericis exemplo Apostoli, qui de labore manuum vivebat, artificiolo, vel agricultura sibi necessaria invenire, ita tamen ut occasione sui operis Vigiliis Ecclesiae non desit & *Can. 1.* vult ut compellantur ad Vigiliis in Ecclesia sua, uti promiserint Canonibus suis satisfacturos. *Item c. III. Dist. XCI. Decret. 1. Part.* ut Clericus qui absque Corpusculi sui inaequalitate Vigiliis deest, stipendio privatus excommunicetur.

§. XVII. Usus Vigiliarum in corruptelam vertit & degeneravit, cum Pax aliquantulum reddita Ecclesiae. Quia enim Christiani veteres, Vigiliis seu conventus nocturnos celebrabant, & convivia Charitatis habebant, Carpocratiani (à Carpocrate qui Epiphanio teste *Tom. II. lib. I. heres. 27.* occulte fecit imagines Christi, Pauli &c. ipsisq; suffitum fecit, & adoravit, ita dicti) hanc consuetudinem imitati, ad nocturnas epulas atque concenationes promiscuae, Viri & mulieres conveniebant, & post coenam amoto lumine nefanda quaeque exercebant; Vid. oratio ap. *Clementem lib. III. Stromat. Confer. Examen. Conc. Trid. B. Chemnitii pag. 449. de Castitate.*

Sic Pietas in Impietatem, sacri hymni in dissolutas Cantiunculas, preces illæ in degeneres procacesque affectus mutari cæperunt. Nam nocturnis illis conventibus pueri, puellæque amores propudiosos meditari; juvenes palam libidinari, Senes lenocinium facere, & matronæ passim castitatem exuere minus erubescabant. Sic Domus Dei Spelunca latronum & stupratorum. Id Patres ubi animadverterunt loco Vigiliarum, jejunium instituerunt, pridie diei cujusque festi præcipui, Sacerdotes nihilominus media nocte surgentes, celebrabant horas suas Precationum.

§. XVIII. Variis inde argumentis motus Vigilantius, natione Gallus, Barcelonensis Ecclesiæ in Hispania Presbyter, librum scripsit in quo docuit non esse sic adorandas Martyrum reliquias, nec ad horum sepulchra vigilandum, id quod id temporis magna religione fiebat à Christianis, Vigiliis tollere laboravit, improbavitque Vigiliis in S. Ecclesia celebrari solitas nocte cujuslibet præcedentis Dominicæ, asserens præter solennes Sancti Paschatis vigiliis, reliquas omnes obtentu publicæ honestatis, ne tenebrarum occasionem captantibus ad delinquendum via aperiri videretur, esse abolendas. Baron. A. C. 406. n. 49. Nec inficias ire potest ipse Hieronymus Vigiliarum licet acerrimus defensor, Vigiliis illas conventusque nocturnos ansam dedisse, quo minus Ecclesia Virgo immaculata manere potuerit, cum libidines exercuerint, Genio indulserint & appetitui, ita tamen convitiis in hunc debachatur Hieronymus Tom. II. p. 120. Epistola adversus Vigilantium de Vigiliis ad sepulchra martyrum, ut illum non Vigilantium sed Dormitantium appellet. De vigilantio vid. Notæ Christiani Chemnitii in *Catech. Dieterici* p. 507. 566: 567. *Hornii Hist. Eccl. Artic. III. num. XXXIII. Compend. Hist. Eccl. Gothanae Lib. II. c. 3. Sect. 4. num. 4. p. 366.* ubi judicium etiam de Hieronymi zelo in Vigiliis invenies. Conf. Casalius de fidelium ritibus circa Preces Cap. III. p. 36. ubi Vigilantius impiissimus Hæresiarcha, & sui nominis Hostis audit. Eundem Vigilantium Vigiliarum usum abstulisse dicit Baronius A. C. 406. n. 49. Vigiliis itaque successu temporis exolevisse & cessasse justis de causis vid. Casalius Notabil. p. 534.

§. XIX. Sublatis Vigiliis horas Canonicas in illarum successisse locum non ablonum erit judicare. De quibus *Jus Canon. Decr. Part. 1. Dist. XCI. Can. II.* vult ut Presbyter mane, matutinali officio expel-

Q.K.
415,
12.

8.

R
VIGIL
Sacrum

FRATR
P
M. Gertraud

RI
JOACH

D. XXVI. S

In A



Imprimebat CHRI

Π i
2709

HALLE
(SAALE)
BIBLIOTHEK



Inches
Centimetres

KODAK Color Control Patches

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black